



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Disputatio Theologica. De modo Ligandi & Absolvendi Peccatores Consuetudinarios & Recidivos

Joachim <A Jesu-Maria>

Namurci, 1693


urn:nbn:de:hbz:466:1-39165





78


M. 448.

D. 1
37
~~40.~~









DISPUTATIO
THEOLOGICA.

*De modo Ligandi & Absolvendi
Peccatores Consuetudinarios &
Récidivos.*

AUTHORE

R. P. JOACHIM A JESU MARIA, Carm. Disf.
Definitore & S. Theologiae Lectore.



Collegii S. Jo. Baptistae Paderbornae anno 1692

NAMURCI,

Typis CAROLI GERARDI ALBERT, Civitatis
Calcographi 1693.

Superiorum Permissu.

FACULTAS

Illustrissimi ac Rmi. Namurcensis Episcopi

EX commissione Illustrissimi ac Rmi. Domini mei Episcopi Namurcensis, attente perlegi & examinavi hanc *Disputationem Theologicam*, eamque reperi ad rectam & veram intelligentiam institutionis Sacramenti Pœnitentiæ, communisque Ecclesiæ praxis per nuperum Decretum SS. D.N. ALEXANDRI Papæ VIII. confirmatæ, multùm conducere posse per suam soliditatem & claritatem: quare prælo perquam dignam censeo. Namurci hâc vigessimâ primâ Octobris 1692.

DE MANDATO,

T. BRABANT, S. Theol. Licen. Can.
Grad. Archidiaconus Wallobrab:

FACULTAS ORDINIS.

NOs infrascripti Carmel: Discal: S. Theologiæ Lectores, ex commissione R. P. N. PAULI HERMANI à Iesu Maria Provincialis, examinavimus *Disputationem Theologicam de modo ligandi & absolvendi Peccatores Consuetudinarios & Recidivos*, Authore P. P. Ioachim à Iesu Maria Definitore & Theologia Lectore, in qua reperimus sanam doctrinam S. Scripturæ, SS. Patribus, communi Ecclesiæ praxi, nec non Sacramenti Pœnitentiæ institutioni conformem: quare Prælo dignam iudicamus.

F. ÆLISEUS à S. Francisca
Ex-Provincialis & S. Th. Lector.
F. ÆGIDIUS à Matre Dei
Definitor & S. Th. Lector.

(3)
DISPUTATIO
THEOLOGICA

De modo ligandi & absolvendi peccato-
res recidivos & consuetudinarios.

Recurrentibus materiæ de Sacramentis Le-
ctionibus, recurrunt & disputationes habenda,
& licet à Controversiis de recidivis aliquibus fortè
videbitur supersedendum, si vè quia eas fusè in praece-
dentibus discussimus: si vè quia sum terminata per con-
demnationem propositionum modernam praxim impu-
gnantium à S. S. D. N. Alexandro VIII. factam:
quia tamen propositiones condemnatas licet semper im-
pugnare: utque uniformitas doctrina nostra cum Sa-
crâ Scripturâ, Sanctis Patribus ac Summorum Pon-
tificum Decretis magis ac magis elucescat, hanc com-
pendiosam omnium à nobis circa hanc materiam dicto-
rum disputationem instituire convenire iudicamus.

§. I.

Propositiones ab ALEX: VIII. condemnatae
nostram controversiam concernentes hæ sunt.

16. **O**rdinem permittendi satisfactionem absolu-
tioni, induxit, non politia, aut institutio
Ecclesie, sed ipsa Christi Lex & prescriptio, naturâ
rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo pœni-
tentie est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem
Sacramenti Pœnitentie, etiamsi eam plurimorum ho-
minum sustentet authoritas, & multi temporis diu-
turnitas confirmet: nihilominus ab Ecclesiâ non ha-
betur pro usu seu abusu.

20. *Confessiones apud Religiosos factæ, pleraque sacrilegæ sunt vel invalidæ.*

Nemini dubium esse potest quòd secundùm *praxim* mox absolvendi, atque secundùm *consuetudinem* modernam quoad *administrationem Sacramenti Pœnitentiæ* ordinariè credatur pœnitenti dicenti pro se & contra se, nisi ratio manifesta appareat in contrarium; adeòque quòd non exigantur illa pœnitentiæ exercitia longo tempore ante abolutionem continuata ut pœnitenti credatur, sicut volunt adversarii nostri; tamen declarat Pontifex per *illam praxim*, pœnitentiæ ordinem non esse inversum, *consuetudinem illam* non esse abusum, condemnatque dicentes confessiones apud Religiosos factas, pleraque, vel esse sacrilegas, vel invalidas; & cùm Adversarii affirmant esse vel sacrilegas vel invalidas, quia relapsus tribuunt impænitentiæ, in his qui longa illa opera non practicant: ideo meritò diximus totam controversiam esse conformiter ad nostram doctrinam à SS. D. N. ALEXANDRO VIII. terminatam: siquidem in hoc consistebat, *an ordinariè credendum sit pœnitenti dicenti sese dispositum, dum ratio manifesta non apparet in contrarium: an verò sit disponendus & probandus per longa pœnitentiæ exercitia ante abolutionem; item an relapsus recidivorum inconstantia propositi, seu instabili pœnitentiæ, vel carentia propositi, seu impænitentiæ sint ordinariè tribuendi; denique an confessiones recidivorum ordinariè sint, vel sacrilegæ vel invalidæ.* Propter rationes dictas has tres difficultates denuò elucidamus.

ARTICULUS I.

De Peccatoribus consuetudinariis & recidivis.

Impietas impij non nocebit ei in quâcumque die conversus fuerit ab impietate suâ. Ezech. 33. Quia

*misericors est & miserator Dominus, patiens & multum misericors. Suavis Dominus universis & miserationes ejus super omnia opera ejus. Psal. 144. Harum miserationum exempla, quibus inducantur peccatores ad fiduciam consequendæ salutis nobis abundè SS. PP. subministrant. Gregorius homil. 25. in Evange. In fide lapsus est aliquis aspiciat Petrum qui amarè fleuit quod timidè negaverat alius contra proximum in malitiam crudelitatis exharsit? Aspiciat Latronem alius avaritiæ astibus anhelans? aspiciat Zachaum alius libidinis igne succensus carnis munditiã perdidit? Aspiciat Mariam Ecce omnipotens Deus ubique oculis nostris, quos imitari debemus objicit, ubique EXEMPLA suæ misericordiæ opponit. Similia habet Chrysost. homil. 2. in Psal. 50 Hieron. Epist. ad Rusticum. August. de verbis Apost. Serm. 8. de tempore Serm. 24. & in Psal. 50. Bernard. Serm. in festo Apostol. Petri & Pauli. Advertendum est SS. PP. non dixisse miracula suæ misericordiæ sed *Exempla*, ad eòque corruit adversariorum responsio: *sed quia sub magno moderamine Pastores Ecclesia vel solvere vel ligare studere debent ut docet Sanctus Gregorius homil, 26. ideo ad puncta controversia transimus.**

S. I.

Discutitur prima Controversia.

IN foro Confessionis ordinariè credendum est pœnitenti dicenti pro se & contra se, nisi ratio manifesta appareat in contrarium. Ita S. Th. 4. sent. dist. 17. q. 3. art. 3. q. 5. ad 2. quodl. 1. q. 6. art. 3. in corpore & ad 2. S. Gregor. L. 2. in 1. Reg. cap. 15. *Plerumque instanti confessione agitur, ut confitentibus de cordis etiã conversione credatur, & homil. 26. in Evang. illos nos debemus per pastorem auctoritatem*

*thoritatem absolvere, quos authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare, qua nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa jam noscitur confessione peccati: Id est per ea quae poenitens testatur in tribunali confessionis. SS Carolus Borromaeus & Franciscus Salesius stant etiam pro nostrâ sententiâ, institut. Confess. & Pastor S. Bernard. Senens. in tract. de Confessione. Expressè hanc sententiam docent. Valerus in differentiâ fori verbo poenitentia. Trullenck lib. 4. cap. 11. dub. 7. nu. 1. Andræas Vega l. 13. de lapsis cap. 34. Bessæus verbo Confessarius 4. nu. 17. Possévinus de officio curati cap. 7. nu. 30. Navarrus in Manuali cap. 10. Petrus Navarra de rest. l. 4. cap. 4 n. 77. Sa in Aphorism. verbo absolutio nu. 14. Præpositus de poenit. q. 10. nu. 3. Petrus Marchantius in Tribunali tract. 6. tit. 3. q. 2. Gaspar Hurtado de Sacrament. dis. 10. differ. 13. Filiucius post tract. 7. in instit. de poenit. art. 3. Castro Palao de poenitent. tract. 23. dis. unicâ parte 18. §. 2. nu. 12. Discastillode poenit. dis. 10. dub. 29. nu. 571. Reginaldus in praxi fori poenit. l. 2. cap. 8. n. 99. & l. 8. cap. 2. Henriques l. 6. cap. 26. n. 4. Lessius verbo Confessarius cap. 7. Moya tract. 4. de poenit. dis. 7. q. 5. n. 3. Manigard in Instruct. confess. §. 6. Millart de poenit. cap. 96. n. 21. Zuares de poenit. dis. 32. sec. 2. affirmat ita docere omnes auctores, & Tomo 2. de relig. lib. 3. de Juram. cap. 8. nu. 7. hæc habet. De proposito credendum est poenitenti, non obstante quâcumque frequentia & inconstantia ejus, quia sicut potest mutari in malum, ita & in bonum, & ipse est accusator, defensor & testis nisi evidenter videat esse indispositum. Thomas Sanchez l. 2. de matrim. dis. 25. n. 2. post similes rationes hanc addit. *Qua nemo ita salutis suae immemor presumitur;**

ut querens Deo reconciliari in interno foro falsum deponat: & ita fatentur omnes & Covarruvias multos referens 4. decret. 1. p. cap. 4. ff. 1. & 2. p. cap. 2. nu. 2. Menochius de presumpt. l. 1. presumpt. 77. nu. 16. & l. 3. presumpt. 1. nu. 29. & 37. cum sequentius & conf. 385. à nu. 21. vol. 4. Hancque sententiam quam plurimi alii docent. Ex quibus patet quàm immeritò adversarii doctrinam nostram singularitatis notâ inurant.

Ob. Sanctus Thomas non loquitur de dispositione pœnitentis, sed de hoc facto, an Parochus credere debet illi dicenti in Paschate confessum se esse alteri.

R. S. Doctorem hoc generale principium stabilisse scilicet pœnitenti credendum esse, dum ratio manifesta non apparet in contrarium; ex quo infert. illi credendum esse in casu objecto. A fortiori verò debet credi dum agitur de sua internâ dispositione; quia non potest haberi ab extrinseco certitudo sicut posset haberi de confessione alteri factâ: posset enim adferre scedulam Confessarii: & non obstante vult S. Doctor quòd illi simpliciter credatur: ergo &c.

Ob. 2. S. Greg. l. 2. Moral. cap. 15. & homilia 16. dicit: *Hoc plerumque humanus animus habet proprium, quod mox ac in culpam labitur à sui adhuc cognitione longius separetur lux veritatis quòd habita negligitur, eo permittit justus Iudex, ut nec amissa requiratur: & in Pastor. cap. 9. Sapè de se mens ipsa mentitur..... & fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.*

R. Ista & similia non obesse nostræ doctrinæ: scimus enim peccatoris animum per peccatum ad mundana trahi, hæbetem fieri, in incuria salutis versari, mentem de seipsa sæpè mentiri, præcipuè eorum de quibus ibi loquitur S. Gregorius qui ambiunt prelaturas & dignitates; quapropter diximus non esse cre-

dendum dum ratio manifesta apparet in contrarium.

Ob. 3. Sequitur ex nostra doctrina relinqui pœniten-
tenti iudicium de sua dispositione.

R. Aliquale peccatori competere suæ dispositio-
nis iudicium: *Oportet*, ait Leo epist. 91. *Vnumquem-
que Christianum conscientia suæ habere iudicium.* Et
Et S. Thom. 3. p. q. 80. art. 4. ad 5. affirmat illum
non peccare qui bonâ fide dolens de peccatis ad Eu-
charistiam accedit: licet non sufficienter contritus:
*Quia nemo potest per certitudinem scire si sit verè con-
tritus: sufficit si in se signa contritionis inueniat,*
*puta si doleat de præteritis, & proponat cavere de fu-
turis.* Hæc quilibet etiam rudis sentire potest, quia
tamen tale iudicium potest iustis de causis reformari:
ideò non relinquitur absolutè pœniten-
tis à Confessario subtrahitur, potest enim exami-
nare Confessarius modum & finem conversionis, an
sit ex aliquâ erga Deum benevolentia, an ex puro
pœnarum metu, aut ex aliquo motivo insufficienti,
an in spiritu humilitatis, cum animi promptitudine
ad recipienda remedia accedat, quæ culpa præcesse-
rit, quæ pœnitentia secuta, id est, an motus fidei,
spei, detestationis peccati exercuerit, &c. In hoc ad-
versarios decipi animadvertimus, quod putent con-
suetudinarios & recidivos ordinariè ad confessionem
properare statim atque aliquam senserunt velleitatem
emendæ, nosque eò ipso illos absolvere; non sic sa-
nè evenit: nam aliqui pluries & diu divinis inspiratio-
nibus sese opponunt, ut describit S. Aug. in Psalm.
6. & 166. alii breviori tempore puta concionis, me-
ditationis, &c. divinis motibus cedunt recogitantes
peccata sua per aliquod tempus, per dies aliquos, imò
per hebdomadas anguntur, in Deum suspirant, con-
fidunt, tandem diligere incipiunt, donec occasione
occurrente v. g. diei solemnisi, &c. confiteantur. Et

dato quod interdum primo excitationis seu conversionis motu ad confessionem properarent alios actus ante pedes Confessarii elicaturi, non sequitur non esse sufficienter dispositos: si tamen in aliquibus solam emendæ velleitatem, adeoque affectum ad peccatum invenirent aut nullam emendationis spem, remittendi sunt ad aliquod tempus breve ut dicemus § §. sequentibus.

Instant si Confessarius supradicta inquirere debeat, atque ad alias actiones quas confitendo facit attendere: sequitur non esse credendum pœnitenti, & per consequens tam has Theses quàm præcedentes retractare quod in primis dixeramus.

R. Negando consequentias: quia dum diximus in primis Thesibus credendum esse pœnitenti, semper addimus, *nisi ratio manifesta appareat in contrarium.* Per hoc sufficienter statuimus prædictorum examen esse faciendum: nec obest quin credatur pœnitenti; nam quidquid Confessarius inquirat & conspiciat, semper restat credendum dicenti quo animo fiat: An humili, sincero, contrito &c. Adeoque ex fidei pœnitentis narratione dispositionis iudicium dependet. *Quis enim hominum novit, quæ in homine sunt, nisi spiritus hominis; & cui voluerit revelare?* ait Apost. I. ad Corinth. 2. & S. August. tract. 74 in Joan. *Conscientiam nostram videmus, alterius non videmus.* Ex his patet falsò adversarios publicare controversiam in posterioribus nostris Thesibus esse immutatam: siquidem in hoc semper fuit. *An Confessarius debeat credere pœnitenti, dum ratio manifesta non apparet in contrarium.*

Iterum patet quomodo adversarii nostri mirum in modum hallucinentur: & cum premuntur de ramo in ramum recurrant, nec tamen possunt locum secu-

rum invenire : si verò contingat pœnitentem bonâ fide accedentem esse indispositum non peccat ut vidimus ex S. Thom. si autem malâ fide (quod non est præsumendum , ut patet ex Sanche & aliis citatis supra) ipse viderit id est hoc sacrilegium suæ imputet malitiæ , ad quod nullo modo concurrit Confessarius. Utinam adversarii nostri nobiscum tutâ conscientia possint dicere , ipsi viderint , dum plures ex eorum nimio rigore in phrenesim vel desperationem actos audiunt ! Utinam inquam nobiscum & non cum principibus Judæorum , qui per illam responsionem à Divino Judicio sese non exemerunt.

Ob. 4. Qui pluries fidem fregit , non est dignus ut ei credatur : v. g. si uxor pluries marito fregisset fidem , si famulus pluries rem Domini abstulisset , si gubernator tradidisset pluries civitatem : si denique aliquis pluries impegisset tibi colaphum , &c. an illis crederetur atque in gratiam reciperentur.

Respondet pro nobis misericors & miserator Dominus apud Jeremiam 3. *Vulgo dicitur si dimiserit vir uxorem suam , & recedens ab eo duxerit virum alterum , numquid revertetur ad eum ultra ? Numquid polluta & contaminata erit mulier illa ? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis : Tamen revertere ad me dicit Dominus & ego suscipiam te.* Unde hoc ? nisi quoniam alia est misericordia Dei , alia hominum ; non enim cogitationes mea cogitationes vestra , neque via mea via vestra : quia sicut exaltantur cœli à terrâ , sic exaltata sunt via mea à viis vestris & cogitationes mea à cogitationibus vestris , ait Dominus. *Jsayæ 55.* Nec hujus cœlestis misericordiae superabundantiam in veteri Testamento tantum testatus est , sed maximè in novo : ipsum Dominum meum audiivi loquentem in Apostolo suo ubi *modus & numerus præfixus non est , ait enim donan-*

res vobismetipsis si quis adversus aliquem habet qua-
 relam sicut in Christo donavit vobis. Audistis for-
 mam, septuagesies septies peccata tibi Christus dona-
 vit, si huc usque ignovit, & ultra negavit: pone &
 su Limitem & ulterius noli ignoscere, si autem Chri-
 stus millia peccatorum invenit, & tamen omnia do-
 navit noli subducere misericordiam, notandum
 prius dixerat, si centies peccaverit, ignosce; & quid
 dicam toties & toties? omnino quoties peccavit ignos-
 ce. August. Ser. 15 de verbis Domini. Et S. Th. 3.
 p. q. 48. art. 10. Ex hoc quod præcipiat Petro di-
 mittere septuagesies septies, atque ex infinita in Deo
 misericordia, Infert sapius & absque ullo termino
 per poenitentiam peccata remittere. Quod etiam Tri-
 dent. sess. 14. cap. 2. affirmat, & de poenitentia
 distinct. 3. cap. 32. dicitur: Videmus adhuc in Ec-
 clesiâ sepè febricitantes, sepè languidos, sepè passio-
 nibus captos sepè liberari, ut pareat toties opus mise-
 rentis quoties fit confessio poenitentis: juxta dicta §. 4.
 & seq. unde S. Chrysostomus supra, si millies pecca-
 verit persta millies confiteri. Quare autem in foro ex-
 terno non credatur dictis sicut in foro confessionis,
 ratio est quia præsumitur in illo factum celaturos ne pu-
 niantur & expellantur v. g. uxor adulterium, famulus
 furtum & malam voluntatem, &c. In interno cum
 per sinceram animi sui accusationem obtinere debeat
 misericordiam, nec sit alia via evadendi poenam æter-
 nam: ideo præsumitur veritatem aperire. Breviter
 hoc expressit oculatissimus Augustinus in Psalm. 74.
 Quid times, inquit, confiteri Deo, bonus est, ignoscit
 Confidenti: time confiteri Iudici homini ne fortè con-
 fessum puniat. Denique Argumentum nimium pro-
 bat, adeoque nihil: probat enim primam aut secundam
 vice non esse absolvendos: quis enim maritus, Do-

minus, Rex, &c? dictos secundâ vice in gratiam reciperet?

Ob. 5. Amos j. dicitur super tribus sceleribus Damasci & super quatuor non convertam eum. Et Glossa in illum locum, quare peccata eadem committere nec pœnitentiam nec indulgentiam se daturum denunciat.

Respondemus cum S. Bonaventura in 4. dist. 14. dub. 2. Quod Hieronymus intelligit quod primum peccatum sit consentire in corde: secundum est facere in opere: tertium est vertere in consuetudinem, quartum est finaliter non pœnitere, de hoc non dat veniam nec pœnitentiam, quia post mortem non est locus pœnitentiae.

ARTICULUS II.

Discutitur secunda Controversia.

PECCATOR consuetudinarius & recidivus potest esse & judicari ordinariè dispositus ad absolutionem fructuosè recipiendam antequam longa pœnitentiæ exercitia ab adversariis præscripta exercuerit.

Probatur ex communi adagio SS PP. *non ad temporis rationem, sed juxta affectum animi solet judicari pœnitentia*, ita ex sacris Litteris demonstrat S. Hieronymus ad Rusticum, Chrysost. ad Theodorum Lapsum; Gregorius in 2. Psalm. pœnit. August. in Enchirid. cap. 65. & Serm. 3. post 1. Dominicam Quadras. Isidorus Hispal lib. 2. de Officio Ecclesiast. cap. 16. Cœlestinus Papa Epist. ad Epif. S. Bernardus de interiore domo cap. 36 Hunc autem animi affectum quo verâ dignoscatur pœnitentiâ ante longa illa exercitia haberi posse clarissimè etiam asserunt. S. Leo Epist. 91. *Misericordia Dei nec possumus mensuras ponere nec tempora desinire, apud quem nullas patitur moras vera conversio, dicente Spiritus*

Dei, cum conversus ingemueris tunc salvus eris. Chri-
 soft. Serm. de Sancto Philogonio, Iam nuuc obtestor
 obsecroque ut omnibus modis repurgatis animis vestris
 ita demum adeatis misteria. Neque mihi quisquam
 dixerit vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam,
 sarcinam circumfero gravissimam sufficit horum 5.
 dierum tempus, si sobrius fueris, si attentus, si vigi-
 laveris multitudinem peccatorum reddes contractio-
 rem; nec illud perpende quod tempus breve est, sed
 illud considera quod benignus est Deus, quandoquidem
 Niniuita tridui spatio tantam iram Dei à se depule-
 runt; ... Exprimit spatium 5. dierum in quibus pec-
 cator debet sobrius esse, attentus & vigilans; non ut
 faveat adversariorum menti, sed quia illum Sancti
 Philogonii sermonem habuit, quinque diebus ante
 Domini natalem, ad quam celebrandam etiam maxi-
 mos peccatores exhortabatur. Hanc esse S. Chri-
 soft. mentem patet ex his quæ subdit post varia peccato-
 rum exempla, qui exiguo tempore consecuti sunt ve-
 niam: Proinde & tu quibus rebus provocasti Deum;
 per has rursùm facito propitium; provocasti illum pec-
 cuniarum rapina? per eadem illum reconcilia ... pro-
 vocasti lingua maledicentia, multis contumeliâ affe-
 ctis? vicissim linguâ placato puras emittens preces,
 benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gra-
 tias agens injuriam inferentibus, hæc non egent mul-
 tis diebus annisvè, sed SOLO ANIMI PROPOSITO, UNI-
 CO DIE perficiuntur. Quid expressius? Idem habet
 homil. 20. in Genesim. S. Salesius collatione 18. ad
 Relig. queris, ait, quomodo actum contritionis exi-
 guo tempore elicere possis? dico tibi vix esse opus tem-
 pore, cum tantum opus sit te coram Deo prosternere
 in spiritu humilitatis & doloris quod ipsum offenderis;
 nec ab illis discrepat S. Carolus Borrom. ut falsò ad-
 versarii imaginantur, siquidem in institutionibus Se-

minari Episcop. titulo de officio Confess. velit, ut Confessarius moneat omnes ne umquam sibi ipsis mortalibus culpe consciis somnum capiant; sed contractam peccati maculam statim sacramentali Confessione eluant; nimiam difficultate perterritos, Aug. Ps. 63. increpat his verbis, Numquid Concilij corrigendi & mutanda male vita in bonam non est locus? non est tempus? nonne si vis hodie fieri nonne si vis modo fit? Quid empturus es ut facias? qua emplastraque siturus, ad quos Indos navigaturus? quam navim preparaturus? ecce dum loquor muta cor. Et l. 2. contra Cresconium cap. 9. garrientem quod nimis facile peccatores & hæreticos reciperet, postquam eum reprehendisset quod non tantum carnaliter, sed etiam pueriliter saperet, atque affirmasset se non recipere Hæreticos nisi mutatos conversione voluntatis ab errore ad veritatem, à divisione ad unitatem, à dissensione ad pacem, ad inimicitias ad charitatem, ab humana presumptione ad divinarum scripturarum auctoritatem: Dicit hanc mutationem & voluntatis conversionem fieri parvo momento, sive enim ad malum, subdit, sive ad bonum parvo momento animus commutatur: sed non ideo parvum est quod meretur. Hæc confirmantur ex notione contritionis à S. Synodo Trid. tradita: atque ex sacris Litteris præcipientibus vel exhortantibus peccatores ad citò sese convertendum & ad non differendum; nec tamen negamus eò difficilius illis exhortationibus & mandatis obtemperari, quò frequentior & diuturnior est relapsus: quapropter merito dixit August. Serotinam pœnitentiam esse suspectam: Præcipue si in finem vitæ reservetur.

§. 2.

• *Oppositio Adversariorum.*

Hic supra firmam Sacræ Scripturæ petram fundatæ doctrinæ opponunt habitus pravorum debere

esse destructos vel saltem pro longa pœnitentiæ exercitia imminutos: hocque intendere videtur S. August. Serm. 34. de diversis: dum petit, *Numquid ergo qui faciunt præcepta Legis jam sani sunt? nundum; sed ut sani sint faciunt: non deficiant faciendo: quia paulatim recipitur quod semel amissum est: si enim citò rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illis esset peccando cadere in mortem.*

R. Cum Magis. l. 4. Sent. dist. 14. SS. Th. 3. Bonavent. communique Theologorum sensu, sufficere habitus parvos per detestationem atque benè agendi propositum revocari: per quod corruunt omnes adversariorum comparationes, quas de habitibus pravis destruendis & bonis acquirendis faciunt: testimonium verò S. August. non est ad rem, agit enim de aliquo non requisito ad absolutionem, sc. de sanitate perfectâ vel de statu à quo per pravos habitus recesserunt: exemplificat in Adamo qui pristinam beatitudinem non recuperavit: gratiam verò recuperasse certum est: & quos dixerat facientes præcepta Legis vel medici nundum sanos esse; infra affirmat justè vivere: *Qui facit hæc, dicit, jam potest dici justè vivere secundum præceptum medicina: sed nundum illam recipit sanitatem & illam integram valetudinem, quam Deus promittit per Apostolum dicens, oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & immortale induere immortalitatem.* Animadvertit similiter S. Bernard. Serm. 30. in die Apostolorum Petri & Pauli, *Per paucos ad pristinum statum redire.* Eorum sc. quibus applicat illud Thren. 4. *Quomodo obscuratum est aurum, absconditus est color optimus, & qui natriebantur in croceis amplexati sunt stercora.* Certum est enim illos qui in magno perfectionis statu fuerunt, in quo heroicarum virtutum actus faciliter exercebant, difficillimè & paulatim ad illum statum, sive

ut loquitur August. ad pristinam beatitudinem reverti : nec Adamus illam unquam recuperavit , licet misericordiam sit consecutus : Quarè licet peccatores sæpiùs per absolutionem recipiant peccatorum remissionem : non tamen est illis ludus cadere in mortem , tum quia non redeunt ad pristinum sanctitatis gradum , tum etiam quia manet magna pœna ab illis in Purgatorio luenda ; tum denique quia dies mortis est incerta.

A R T I C U L U S III.

Signa animi ad Absolutionem dispositi.

§. I.

INter signa animi pœnitentis à Sanctis Patribus commendata , commune ac generale est humilis & verecunda peccatorum declaratio seu Confessio. *Sicut enim in Baptismo* , ait D. Thom. Quod l. 6. art. 1. & in supplem. q. 9. art. 3. *ad significandam interiorum abluionem assumitur illud elementum , cuius est maximus usus in abluendo , ita in actu Sacramenti Pœnitentia ad manifestandum assumitur ille actus , quo consuevimus manifestare , scilicet proprium verbum : quia* , ait , S. Aug. de Doct. Chr: l. 2. cap. 3. *verba apud homines optinerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur , si ea prodire quisque velit.* His maxime concordat S. Gregorius homil. 26. in Evang. dum ait *quod nos debemus per pastorem auctoritatem absolvere , quos authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare , qua vivificatio ante operationem reëctitudinis in ipsâ jam noscitur confessione peccati.* Et l. 6. in 1. Reg. cap. 15. *Flerumq; instanti confessione agitur , ut confitentibus de cordis etiam conversione credatur* Tunc enim *cause pensanda sunt , & tunc ligandi atque absolvendi potestas est exercenda : videndum est qua culpa præcessit , aut qua sit pœnitentia secuta post culpam , ut quos omnipotens*

Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoralis sententia absolvat. Homil. 26. in Evang. præcipua autem pœnitentia quæ sequi debet ante absolutionem, est ipsissima contritio, ut docet Trident. & ipsemet Gregorius affirmat per hæc verba, *ut quos Deus per compunctionis gratiam visitat.* Ex quibus etiam patet S. Pontificem intelligere per confessionem peccati, etiam dispositionis declarationem: sicut & nos semper in Thesis nostris expressimus. Perperam igitur ex mente Sancti Gregorii longa & dura pœnitentiæ exercitia, quæ præscribunt adversarii ante absolutionem, eruuntur.

Prædictum generale animi pœnitentis signum alia sæpè solent comitari, inter quæ lacrymæ primum locum vendicarunt, *sicut est comes pœnitentia dolor, ita lacrymæ sunt testes doloris*, ait S. August. l. 50. homil. ar. homil. 50. quare Sanctus Carolus Borrom. titulo de modo imponendi pœnit. dicit, *Considerabit scil. Confessarius animum mentemque pœnitentis, ac fletum, gemitum, & lacrymas intimi doloris indices.* Nam *lacrymæ veniam non postulant & merentur, causam non dicunt & misericordiam consequuntur.* S. Ambros. Serm. 46. Quas etiam tantam vim reputat habere S. Avitus Viennensis Epif. epist. 4. ut non dubitaverit dicere, *cum videntur pœnitentes precibus & lacrymis veniam petere impium esse denegare.* Quo titulo quæso minister non ignoscit, dum ipse Deus ignoscit? viderint adversarii ne illis accidat, quod servo apud Evangelistam, cui multa remissa fuerant, & nihil omninò conservis volebat remittere. Quia verò non omnes sunt fletu faciles sicut mulierculæ, lacrymarum vicibus fungi possunt vultus tristitia, pectoris tonsio, ad pœnitentiam & remedia acceptanda & practicanda animi promptitudo, majores pœnitentiæ postulatio, &c.

Oppositio Adversariorum.

Dicunt Salvatorem præcipere rectoribus Ecclesiæ
ut diligenter agnoscant vultum pecoris sui, mo-
dumque tradere dum dixit à fructibus eorum cognosce-
tis eos.

Hanc objectionem jamdiù prævidit & explosit
 Angelicus Doctor quod l. 6. q. 1. art. 3. & in sup-
 plem. q. 8. art. 5. *Rector Ecclesiæ debet vultum peco-*
ris sui cognoscere dupliciter: uno modo per sollicitam
exterioris conversationis considerationem, quia invi-
gilare debet super gregem sibi commissum: & in hâc
consideratione non oportet ut credat subdito, sed certi-
tudinem facti quantum potest inquirat: alio modo per
confessionis manifestationem; & quantum ad hanc
cognitionem non potest majorem certitudinem accipere,
quàm ut subdito credat, quia hoc est ad subveniendum
conscientiæ ipsius, unde in foro confessionis creditur ho-
mini pro se & contra se, non autem in foro exterioris
judicij. Ratio est, quia in hoc foro pœnitens fit actor
& testis cui creditur, dum ratio non apparet incon-
trarium: ita etiam Navarrus & alii supra. Ex fructibus
igitur quos manifestat pœnitens in confessione cog-
nosendus est in ordine ad sacramentalem Absolutio-
nem, ut statuimus ex S. Gregorio dicente, plerumque
instanti confessione agitur, ut confitentibus de cordis
etiam conversione credatur.

Dices cum Augustino *ad emendanda crimina vox*
pœnitentis sola non sufficit.

R. Nos non exigere solam vocem ad emendatio-
 nem, sed contritionem etiam & satisfactionem. In
 hoc numquam fuit difficultas.

Hallucinatio Adversariorum.

Mirum in modum hallucinantur Adversarii ex eo quod confessionem peccati, contritionis declarationem aliasque pœnitentiæ & humilitatis actiones, quæ confitendo fiunt, inter fructus pœnitentiæ non reputant contra communem SS. PP. sensum, nam secundum S. Ambros. l. 2. de Abel & Cain cap. 9. *Confessio est pœnarum compendium & pœnitentiæ portio, crimen fateri.* Secundum S. Greg. homil. 24. in Evang. *Sacerdotes debent illi pœnam amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.* Apud S. Aug. de verâ & falsâ pœnit. *Quoniam verecundia magna est pœna, qui erubuit pro Christo dignus est misericordia.* Secundum S. Thom. 4. ad Anibal. dist. 20. art. 4. *Verecundia quam quis patitur in confitendo, est maxima pars satisfactionis: quod etiam asserit Concil. Senonense.* Ideòque secundum S. Bernard. de interiori domo cap. 39. *Peccatum proditum citò curatur, nam velox confessio velociter medicinam facit. Agnosce, igitur, medici manum, confitere, exeat in confessione omnis sanies: jam exulta, jam latere quod reliquum est facile sanabitur,* ait S. Aug. in Psal. 66.

Ex dictis facile concludes; quod si jejunia aliaque mortificationis opera ab adversariis nostris fructus pœnitentiæ dicantur, à fortiori hoc nomen & omen confessioni aliisque humiliatiobus, quæ in ea fiunt esse tribuendum. Et certè quamplurimi mallent jejunare, quàm sua peccata aperire.

Respondent Adversarii confessionem aliasque actiones non constare fieri animo contrito & pœnitenti; sed quis non videt non magis constare animo pœnitenti longa mortificationis exercitia ab ipsis injuncta fieri; à quo, quæso, scient illa non fieri ex vanâ gloriâ, hypocrisis, aut aliquo alio deteriore fine, nisi ex

verbo pœnitentis id affirmantis? Utrobique igitur pœnitenti credendum, *Quia nemo hominum novit. Secundum Apost. 1. ad Corinth. 2. Quæ in homine fiunt nisi spiritus hominis qui in ipso est, & S. August. tract. 74. in Joan. Faciem videmus alterius, nostram videre non possumus, conscientiam nostram videmus, alterius non videmus.*

A R T I C U L U S I V.

Relapsus præcisè secundum se non est signum carentiæ propositi emendationis nec Confessionum precedentium nullitatis.

ADversarii ex hoc quod vident pœnitentes sæpiùs relabi in eadem peccata, inferunt non habuisse propositum vitam emendandi, dum sunt confessi, quam autem immeritò hæc opinentur argumentum sequens demonstrabit.

Effectus qui potest provenire à duabus causis diversis, neutram determinatè infert, atqui relapsus potest provenire à duabus causis diversis scilicet à carentiâ propositi, vel à mutatione propositi, sive ut Adversarii loquuntur, ab impœnitentiâ, vel ab instabili pœnitentiâ; ergò neutram determinatè infert seu manifestat: & quia ipse est sui accusator, defensor & testis, nemoque præsumitur ita suæ salutis immemor, ut falsum in foro interno deponat; quia Deo reconciliari quærit: idèò nisi ratio manifesta sit in contrarium, judicatur ex inconstantia relapsus provenire.

Confirmatur, S. Chrisost. homil. 6. de pœnit. confitit millies confiteri non obstantibus millibus relapsibus; ergò relapsus non potest esse signum impœnitentiæ, *si peccaveris, inquit, peccatum confitere, si millies peccaveris persta millies confiteri.*

Rationem reddit Sol Angel. 3 p. q. 84. art. 10. *Dicendum quod pœnitere est anteacta peccata deslere.*

Et flenda non committere, sc. simul dum flet, vel actu vel proposito, ille irrisor est & non pœnitens, qui simul dum pœnitet, agit quod pœnitet, vel proponit iterum facturum quod gessit: quod autem aliquis postea peccet; vel actu vel proposito, non excludit quin prima pœnitenti vera fuerit: NUNQUAM ENIM VERITAS PRIORIS ACTUS EXCLUDITUR PER ACTUM CONTRARIUM SUBSEQUENTEM: sicut enim verè cucurrit quò postea sedet: ita verè pœnituit qui postea peccat.

Ex quibus patet relapsus non esse signum nullitatis confessionum, quia in tantum foret signum nullitatis, in quantum foret signum carentiæ dispositionis. Hanc sententiam etiam tenet Reginaldus, aliique quamplurimi §. 2. citati & postea citandi.

Dices si relapsus secundum se non sit signum carentiæ doloris & propositi, ergò poterit peccator post millenos relapsus absolvi, mox ac fuerit confessus.

℞. Negando consequentiam, quia absolutionis dilatio ex aliis capitibus utilis aut necessaria esse potest: v. g. quia tanta inest recidivo negligentia & salutis incuria, ut remedia præscripta non applicet, vel leviora applicata nil operantur, vel quia spes emendationis abest, vel quia obligationibus satisfacere renuit aut omisit, &c. ut dicemus §. 2.

§. 1.

Oppositio Adversariorum.

ARgumenta præcipua desumunt Adversarii ex SS. PP. testimoniis, quæ ab eorum sensu ad intentum suum detorquent, quæque jam pridem à sententiarum Magistro l. 4. dist. 14. & à SS. Thoma & Bonavent. in Comment. in illum locum explicata sunt & soluta. Illis etiam usi sunt tunc temporis hæretici ad Sacramenti Pœnitentiæ reiterationem eliminandam, ad quod celeri passu tendere videbantur adversarii, nisi à Sede Apostolicâ eorum conatus fuisset repressus.

Obiiciunt r. Gregor. dicit *pœnitere est antea cta de-
flere & flenda non committere*. Idem habet Ambro-
sius & alii SS. PP. Latini.

R. Magister *anteacta deflere & flenda non commit-
tere rectè accipi possunt, ut non ad diversa tempora :
sed ad idem referantur ; ut si tempore quo deflet com-
missa mala non committat (voluntate aut opere) flen-
da*. Subdit enim Gregor. *nam qui sic alia deplorat ut
alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut dissimu-
lat aut ignorat : quid enim prodest si peccata luxuria
quis deplorat & adhuc avaritiæ astibus anhelat ?*

Instant, *irrisor est & non pœnitens*, inquit Isido-
rus, *qui adhuc agit quod pœnitet : nec videtur Deum
poscere subditus, sed subsannare superbus*.

Respondet Magister, *ille irrisor est &c. Qui sic
commissa plangit, ut plangenda (voluntate aut opera-
re) committere non desinat : Concordat Doctor An-
gel. S. præced. & S. August. in Enchir. cap. 70. Ca-
vendum est, inquit, ne quis existimet nefanda illa cri-
mina, qualia qui agunt regnum Dei non possidebunt,
quotidie perpetranda & eleemosinis quotidie redimen-
da*.

Instant, *Lavatur & mundus est, qui præterita
plangit & flenda iterùm non committit, lavatur &
non est mundus qui plangit quæ gessit, nec deserit, &
post lachrymas ea quæ fleverat repetit. Inanis est enim
pœnitentia quam sequens coinquinat culpa : nil profunt
lamenta si replicantur peccata, his aliisque similis fa-
rinæ utuntur adversarii. Quibus*

Respondet laudatus Magister, *Ille etiam qui post
lachrymas repetit quæ flevit, lavatur ad tempus : sed
mundus non est ; id est illa munditia non est ei sufficiens
ad salutem, quia est momentanea & non perseverans.
Item illud inanis est pœnitentia . . . sc. carens fructu il-
lius pœnitentiæ, quam sequens culpa non coinquinat.*

Illius enim fructus est vitatio gehenna & adeptio gloria: morificatur illa pœnitentia, & alia antea facta bona per sequens peccatum, ut non sentiant mercedem quam meruerunt cum fierent; & quam haberent si peccatum non succederet: sed etsi de peccato succedenti pœnitentia agatur, & pœnitentia qua precessit & alia ante bona opera reviviscunt.

Prosequuntur Adversarii: nil valet veniam de malis postulare & mala iterare.

R. Magister, nil valet ad salutem vel veniam in fine vitæ consequendam: quia nihil relinquitur de vitæ munditia, sc. adveniente peccato, quia mortificatur; hoc tamen sublato omnia bona reviviscunt.

Per hæc & similia quæ uno verbo expressimus solvuntur omnia congesta ab adversariis, sicut & illud quod opponunt ex August. dicente, Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, si estis pœnitentes & non irridentes, mutate vitam. Si pœnitenses, pœnitet te, si non pœnitet te, pœnitens non es, si ergo pœnitet, cur facis quod malè fecisti? si fecisse pœnitet, noli facere, si adhuc facis, certè non es pœnitens.

Respondemus Augustinum velle, sicut alii SS. PP. talem desinere esse pœnitentem, hoc ipso quò relabatur. Tunc enim est canis reversus ad vomitum, malæ fidei Christianus: (fidem enim quam de non relabendo sponderat fregit) (arbor mala malos fructus faciens, superbus, subsanniens, stultus, &c, Ex quibus tamen malè infertur talem fuisse quando modo explicato §§. præcedentibus ad confessionem accessit.

Instant August. vel Auctor Libri de verâ & falsâ pœnitentiâ ait, pœnitentia est quadam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet commisisse.

R. Magister intelligenda esse de pœnitentiâ perfectorum, eorum, ut inquit D. Thom. ibidem sc. quæ pœnitentiæ sunt perfecta, eam usque ad finem vitæ con-

tinuantes, pœnitentia est semper puniens in se habitus vel proposito, sed non semper actu, pœnitentia verò imperfectiorum de quibus agimus, potest facile amitti; nec ex hoc potest inferri malam fuisse sive diù sive parùm perseveret.

Hoc ipsum S. Greg. asserit homil. 30 in Evang. dum dicit: *in quorundam corda venit Deus & mansionem non facit, quia per compunctionem quidam Dei respectum perceperunt, sed tentationis tempore hoc ipsum, quod compuncti fuerunt obliuiscuntur: sicque ad perpetranda peccata redeunt ac si ea minimè planxissent: & licet ea compunctio & latio, id est peccatorum ablutio ad tempus tantùm duraverit, imò licet momentanea fuerit, secundum magistrum, reviviscet, si de peccato eam mortificante pœnitentia agatur: & cum nihil reviviscere possit, nisi prius vitâ informatum fuerit: hinc patet pœnitentiam & lationem illam ad tempus, imò momentaneam, amatam fuisse: utique per Dei respectum, quem perceperunt illi in quorum corda venit; ut loquitur S. Gregor. quia verò per peccata expulsus est, idè non fecit mansionem: ex quo non sequitur ad eos non venisse: oppositum enim S. Gregorius in verbis supradictis expressissimè asserit.*

Ex quibus rursùs patet Glossas Adversariorum de finali vel longâ perseverantiâ ad iudicandum de dispositione recidivi, contrarias esse Magistro sentent. nobilibus & sanctissimis in eum commentatoribus. Quia *veritas prioris actus numquam excluditur per actum contrariû subsequentē. Sicut enim verè cucurrit qui postea sedet, sic verè pœnituit qui postea peccat: S. Th. sup.*

Reflectant quæso ad ly *numquam*, & videbunt nisi cœcutiant in luce meridiana oppositum sibi Solem Angelicum: cuius luce unâ cum vaticani claritate; Utinam illuminentur mentes eorum, ut in posteriorem

discant sapere ad sobrietatem.

Instat, gratia est habitus difficilè mobilis, ergò si peccator eam recepisset, saltem per notabile tempus absque relapsu perseveraret.

Respondet Sol Angelicus 3. p. q. 79. art. 6. ad 1. quod effectus hujus Sacramenti recipitur in homine secundum hominis conditionem; sicut contingit de qualibet causa activa, quod ejus effectus recipitur in materia secundum modum materia: homo autem in statu via est ejus conditionis quod liberum arbitrium ejus potest flecti in bonum & malum, equidem parvo momento, ait S. Augustinus art. 2. citatus; Undè licet hoc Sacramentum quantum est de se habeat virtutem conservativam à peccato, non tamen aufert hominè possibilitatem peccandi. Cùm autem peccatores noviter conversi, sint novellæ & teneræ vitæ spiritualis plantæ, non mirum esse debet, si flante tentationis vento evellantur; nec ex hoc inferas præstare; ut per longa exercitia in illâ spirituali vitâ firmentur, & radicentur: quia si nonobstante Sacramentali gratiâ ita fragiles remaneant: quid quæso sine ea crunt? ad quod attendentes S. Carolus Borromæus & Salesius Instructione Confessariorum, & Concl. Provinc. 6. asseruerunt ordinaria & præcipua pro quâlibet personâ contra relapsum remedia, esse frequentem Confessionem & Communionem.

Instant, Qui diligit Deum orabit pro peccatis & continebit se ab illis, ut dicit Ecclesiasticus & Joannes, si quis diligit me sermonem meum servabis: Gregor. autem asserit amorem Dei numquam esse otiosum & magna operari.

R. Hæc verificari pro tempore quo diligit, ut dicitur dist. 2. de pœnitent. tuncque amor magna operatur saltem quoad Charitatis propositum, ut docet Magi-

D

stec

Aer noster S. Thom. de spiritualibus creaturis.

Instant: dicitur Proverbiorum 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectum diem.* Et ad Corinth. 1. cap. 1. *IESVS CHRISTVS confirmabit vos usque in finem sine crimine.*

R. Hæc dici de illis quibus misericors Dominus donum perseverantiæ sine interruptione vel confirmationis in gratiâ contulit: inauditum est hæc requiri pro salutari dispositione ad Sacramentum Pænitiæ.

Instant, S. Gregorius dicit, Deus veniet in corda eorum, qui diligunt eum & quod mansionem faciet.

R. Ad hoc argumentum solutionem patere ex dictis; quantum est ex se Deus mansionem facit & de facto manet donec dilectio Dei ab amore terrenorum superatur.

§. 2.

Signa animi indispositi ad Absolutionem:

IN Corollario 5. Thesis nostræ anni 1687. expressimus peccatores indispositos esse iudicandos quando ratio apparet in contrarium his, quæ dicunt, illam autem sufficienter apparere iudicavimus dum occasiones peccandi non vult deserere, bonum alienum restituere, famam reparare, injuriam remittere, vindictæ animum deponere, officiis & muneribus suis satisfacere, monita salutaria recipere, atque animo impœnitenti pœnitentiam non vult acceptare.

In his & similibus casibus non est pœnitenti credendum; sed debet illi denegari absolutio propter propositi emendæ carentiam, debet insuper denegari quando nulla spes emendationis apparet: & quia illa denegatio est violentum remedium poterit etiam applicari quando magis temperata nihil proderunt; sicut in medicina corporali, ait S. Thom. 4. sentent. dist. 18. & 19. *Sapientis medici est à levioribus medicinis*

incipere & minùs periculosis , quando autem levis medicina non sufficit , tunc debet medicus efficaciorẽ medicinam apponere , non statim efficacissimam : ut quàm minùs potest fieri gravetur ille , cui mederi volumus .

Similem doctrinam retulimus ex S. Carolo Borromæo. Institut. Confess. p. 2. cap. 15. &c. Non solùm absolvere eos non possunt qui peccato mortali constanter valedicere non decernunt ; sed nec illos etiam , qui quamvis asserant peccatum se velle deserere , tamen unà dicunt videri sibi , non se illius commercium esse relictuos , NISI VELINT REMEDIA APPONERE , sine quibus Confessarius iudicat ad vomitum redituros. Est præterea consultum absolutionem differre donec appareat evidens emendatio : in his qui tametsi dicant & polliciantur quod se examinant à peccato , tamen probabilem Confessario faciunt metum nè contrarium contingat. Ex hoc genere esse solent plerique adolescentes , qui in otio vitam agunt , qui luxui dediti crapulam & inhonestos amores sequuntur , qui libidinibus pascuntur , verba obscena proferunt , murmurant , in odiis & detractionibus versantur quotidie , & confessionem differunt in ultimos Quadragesimæ dies. Quia ait in Concil. Provinc. 5. Ita divinis officijs Confessarij & frequenti populi concursu defatigati obruuntur , ut cum talibus tam salutare ministerium peragere nequeant. Idem faciendum est cum his qui multis annis in peccatis suis perdurant , nullâ enim adhibitâ operâ in emendationem vitæ , in eadem peccata iterùm atque iterùm labuntur ; inde nec eos absolvat qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vitare planè non proponunt.

Coroll. 6. Prædictæ Thesıs notavimus S. Carol. non excludere illos à beneficio absolutionis qui non differunt ad ultimos Quadragesimæ dies , vel tunc ad-
sunt Confessarios quibus vacat tam salutare ministe-

vium cum illis peragere, voluntque apponere remedia sine quibus Confessarius iudicat ad vomitum redituros, item nec eos qui aliquam operam in emendationem vitæ adhibuerunt, licet iterum atque iterum relabantur.

§. 3.

Explicatio dictorum.

NUllum conatum aut operam in emendationem vitæ adhibere censemus, dum a Confessario moniti, ab eo præscripta contra relapsum remedia negligunt, vel insurgente tentatione suâ industriâ ad illam superandam nil conferunt: quoties verò monitionem hanc neglexisse debent, ut absolutionis beneficio priventur? Prudentiæ Confessoriorum determinationem semper reliquimus: quia ex multis circumstantiis dependet quæ eadem in omnibus recidivis non reperiuntur: & ideo autores non eodem modo loquuntur: nam aliqui sustinent absolutionem esse differendam post duas aut tres monitiones; si nihil conati sunt, alii post tres aut quatuor: & alii post plures. Immò circà hunc casum, an sit absolvendus ille qui ter monitus ut vitam emendet, nullum omninò conatum & operam adhibuit? Tres sententias suis gravibus authoribus & rationibus fulcitas refert N. P. Andræas à Matre Dei tract. 18. de voto & juram: cap. 2. in fine, quarum prima dicit posse absolutionem differri, & quandoque expedire: 2. Dicit non posse differri, si recidivus dissentiat: 3. Autem affirmat non tantum posse, sed etiam debere, nisi majora doloris signa præbeat, atque nullo compellente, sed ex indignatione contra relapsum accedat: vel nisi scandalali, desperationis, confessionis odii aut huiusmodi periculum adsit: *Cavendum est enim secundum Catech:*

teche;

thee: Roman: de Sacram: Pœnit. *Ne semel dimissi
amplius non redeant.*

Pro primâ referuntur ab eodem P. N. Andræa Sanchez, Palaus, Bonacinas, Sayrus, suares, Leander, Thomas Hurtado. Pro secundâ Henriquez, Tannerus, Silvester, Maure, Joannes Sanctius. Pro tertiâ Bartholom. de Medina, Prado, Lud. Lopez, Trullenk, Azorius, Rodriguez: quibus addi potest Ledesma, Lugo, Lessius, Laiman. & alii. Hæc ultima propter limitationes & præcautiones quas adhibet vix differt à 1. utriusque praxim Confessariorum prudentiæ subjecimus. A 2. verò ubique recessimus, ut patet ex omnibus nostris Thesibus & scriptis Theologicis: in quibus reperies *non debere absolvi recidivos vel consuetudinarios, qui nullam aut insufficientem emendationis spem dant, & posse absolutionem per modum medicina illis differri, in quibus leviora remedia nil operantur.* Ex quibus etiam patet quàm falsò imaginati sunt adversarii nostri nos laxitates & sententias animarum saluti perniciosas docere.

Advertit Reginaldus l. 2. de prudentiâ Confessarii cap. 8. in dicto casu. *Neque illi eo solo nomine absolutionem negandam esse tamquam impœnitenti, quia recidisse in idem peccatum non est necessarium argumentum defectus vera pœnitentia, sed signum infirmitatis.* Idē docent expressè plurimi tam in hoc § quam 2. & alius citati. Totis igitur viribus insudandum est ut ad absolutionem disponantur: quòd si fieri nequeat; nitendum est, ut dilationem patienter ferant. Recedivorum quamplurimum interest: *Ad Confessionem properare medicoque uleus ostendere, qui curet & non exprobet.* S. Joannes Chrisost. hom. 20. in Genesim.

Ut patet nos viam mediam semper tenuisse, restas videndum quomodò ab altera extremitate discernamur.

Differentia Praxium.

EX dictis facilè colligi potest differentia praxis ad-
versariorum à nostra: illi sæpiſſimè & ferè ſemper
propter relapsus abſolutionem differunt: nos raro &
omniò ab ipſorum ſalutis incuriã coacti.

Illi ad longum tempus donec habitus vitioſi per
oppositam conſuetudinem ſint deſtructi, aut ferè de-
ſtructi: nos autem ad breve tempus donec ſufficien-
ter ſint per propositum revocati & facti involuntarii.

Illi attribuunt relapsus propositi carentiæ: ex quo
inferunt confeſſiones pleraſque eſſe ſacrilegas vel nul-
las: nos verò inconstantia propositi eos attribuimus,
adeòq; confeſſiones ordinariè validas fuiſſe cenſemus.

Ex quibus dictis patet nihil pro illis in poſterioribus
Theſibus à nobis dictum fuiſſe: nec ſententiam quam
in Theſibus anni 1637. & 1688. ſuſtinuimus immu-
taſſe: ſed tunc & modo viam mediam in Scriptura,
Patribus, ratione, graviffimisque authoribus funda-
tam, ſecundùm quàm tuti incedamus, elegiſſe.

Sequitur finaliter nos non incidere in gravamina &
inconvenientia ſequentia, quæ adverſarii noſtri te-
nentur deglutire.

1. Conſuetudinarios & recidivos, ſolummodò attri-
tos qui per abſolutionem ſalvarentur, eã negatã dam-
nari, ſi improvifã morte rapiantur.

2. Parochos recidivos ſolummodò attritos in feſto
in quo populus alterius non habet copiam, ut Miſſam
audiat, debere vel ſacrilegè celebrare vel infamari;
utrumque per noſtram ſententiam evitatur.

3. Idem dicendum de Nubilibus Recidivis, quo-
rum parentes & amici ſunt ad nuptias convocati.

4. Similes perplexitates patiuntur adverſarii in
conſuetudinariis & recidivis moribundis; cùm judi-

cent vitæ emendationem & exercitationem diuturnam, in pœnitentialibus operibus necessariam esse ad absolutionem obtinendam; hæc autem exercitatio sit illis impossibilis, si conformiter ad sua principia agere velint, absolutionem tenentur denegare.

Dices 1. ex nostrâ doctrinâ eadem gravamina sequi, quia dum leviora nil profunt remedia, absolutionis dilatione tamquam potentiori utimur.

R. Quod tali remedio non esse utendum iudicavimus, quando adest scandalum aut alterius inconvenientis periculum, ut patet ex §. præcedenti & dato quod interdum uteremur: non sequitur tunc fore gravamen ut diximus §. 2. hujus art. ex S. Thom. quia ubi remedia leviora nil operantur, necessitas efficacioribus utendi nos compellit: hoc ipsum exemplis declarat Sol Angelicus locis ex 4. sentent. citatis: sicut enim benigna Mater Ecclesia non solet primum proferre excommunicationem in delinquentem nisi adsit contumacia: & Dominus noster præceptum denunciandi delinquentem non vult primum obligare: nisi præmissa fraterna correctio nihil proffit: tuncque nisi gradatim procedendo, ita ut post correptionem secretam adhibeatur unus aut duo testes; deinde deferatur superiori ut Patri: postea si delictum perseveret deferatur ut Judici: sic etiam in nostro casu iudicamus procedendum: & sicut observato hoc benignitatis processu excommunicatio, aut criminis denunciatio non potest dici injustum gravamen: sic absolutionis dilatio non est dicenda: dum interdum & omnino coacti eâ utimur.

Dices 2. SS. PP. non reputaverunt olim gravamen, quod Catechumenis differretur Baptismus ad diem Paschæ & Pentecostes, nam pertinet ad divinam providentiam contritionem perfectam eis largiri vel perservare à subitaneâ morte, illos, qui vel ad Baptis-

num vel pœnitentiam fructuosè suscipiendam disponuntur.

R. Disparitatem manifestam esse inter adversariorum exemplum & casum nostrum: quia non differabatur Baptismus invitis Catechumenis, nisi quantum erat necesse ut instruerentur, eorumque voluntas probata foret an Leges Christianismi ex animo amplecterentur: præterea quilibet etiam Laicus potest in necessitate baptizare, non tamen potest absolvere, adeoque non militat æquale periculum decedendi absque Sacramento, deinde Ecclesia nunquam censuit Baptismum extra illos dies esse nullum, sicuti censent adversarii nullas esse absolutiones ante longa pœnitentiæ exercitia datas. Denique tantum differabatur Baptismus ad prædictos dies dum circa illa tempora voluntatem numero Catechumenorum adscribendi manifestabant; si verò post Pentecosten adscribi postulabant, ad longum tempus non differabatur Baptismi collatio, ut patet ex Manuali Attrebatensi & aliis: illud verò de divinâ providentiâ, sine ullo fundamento dicitur. Ubi quæso scriptum est vel cui revelatum est hoc insolito providentiæ suæ modo erga infames peccatores misericordem Dominum sese gerere, cui tot pueros propriâ voluntate impollutos in damnationem æternam relinquit? & licet majorem illis infamibus infinitæ misericordiæ suæ gratiam sæpius præstet, tamen per extraordinariam providentiâ sine fundamento ex scriptura desumpto fieri, non est affirmandum.

Dices 3. non obstantibus allegatis SS. Patres primitivæ Ecclesiæ absolutiones differabant donec longas immò publicas peccatores peregissent pœnitentias. Huic argumento.

Responderi solet dupliciter 1. Dissimulato antecedente negando consequentiam: quia à jure per con-

suetudinem abrogato non valet Argumentum. Esse autem morem illum abrogatum patet ex contraria praxi, cui nec Pontifices, nec consilia contradixerunt, sed potius illam approbarunt ut ex multis patet, & novissimè ex decreto Alex. 8. condemnantis propositiones in limine hujus Thesıs posıtas.

R. 2. Negando antecedens respectu occultorum peccatorum: nam Joannes morinus oculatissimus per 25. annos antiquitatis inspector in præfatione operum suorum testatur. *Nihil nunc in pœnitentia Sacramento Ecclesiam Catholicam imperare aut usurpare, quam quod ab antiquissimis Patribus vivisque Apostolicis imperatum olim aut usurpatum fuit, verum etiam quod universus Oriens & Occidens & universa Christi Ecclesia quâcumque terrarum diffunditur ab Apostolis accepit, & in hunc usque diem observatione continuâ usurpatur: scilicet quoad modum absolvendi ut jam ex testimoniis sequentibus patebit, nam quoad aliquas ceremonias accidentales atque veterum rigorosorum Canonum mitigationes quædam variatio id infirma Christianorum fide ex postulante contingit. Et l. 9. cap. 1. sic concludit nos post diligentem hujus rei considerationem & innumerorum antiquitatis testimoniorum & exemplorum variis sæculis editorum inter se collationem deprehendimus, plerisque peccatorum gravium (hoc est qua per publicam pœnitentiam non expiabantur) mortem æternam inferentium, generibus ex more quo nunc & ab aliquot sæculis observatur ab ipsis Ecclesia incunabilis concessum fuisse. Et cap. 14. Crimina omnia qua illis sæculis non expiabantur per pœnitentiam publicam, statim aut paulò post editam Sacerdoti confessionem remittebantur: paucis exceptis qua cum publica erant Communionis Eucharistia privatione nonnunquam à Canonibus castigabantur.*

E

Fate-

Fatemur etiam Christianos illius temporis fuisse adeo ferventes ; ut pro privatis & occultis peccatis publicam pœnitentiam enixè postularent : ad hinc rigorosissimam Pœnitentiam nullus cogebatur ut advertit S. Joannes Chrysost. homil. 21. ad populum Antioch. *Nec hoc tantum mirabile, inquit, quod peccata nobis dimittit Deus, verum ipsa non revelat nec manifestare facit, nec accedentem cogit in medio paratrata edicere: sed sibi soli rationem reddere jubet & confiteri.* Idem repetit homil. 31. in Epist. ad Hæbr. & S. August. rigorosos ministros tam benigni Dei increpat dicens, Serm. 16. de Verbis Dñi: *Solus nosti & coram omnibus vis arguere, non es corrector, sed proditor.* Idem docet S. Leo Epist. ad universos Episc. per Campaniam, &c. Et alii communiter.

Pro majori luce dictorum advertendum est duplicem primitivæ Ecclesiæ tempore fuisse collatam absolutionem, unam sacramentalem, aliam ceremoniam, illa citò dabatur ordinariè confitenti peccata occulta, ut vidimus ex Morino; hæc differabatur donec publicam pœnitentiam, qui eam exercebant, absolvisent, fiebatque per Episcopi manuum impositionem dum ad Sacram Corporis Dñi Communionem restituebantur.

S. 5.

Aliud Inconveniens ex adversâ sententiâ.

Non parvum iterum sequitur inconveniens ex sententiâ adversariorum, nimirum sæpè recedentes in venialia non posse absolvi, sicque justè & piè viventes, de quibus dicitur septies in die cadit justus, beneficiis & gratiis Sacramenti Pœnitentiæ esse pri-

vandos : cùm enim septies in die reincidant, non possunt adversarii de eorum proposito certificari.

In omne latus se vertunt adversarii, ut ab hoc gravamine se expediant : aliqui dicunt magnam esse disparitatem inter mortale peccatum & veniale, adeoque non esse eodem modo de eis ratiocinandum.

R. Quò ad gravitatem toto cœlo differre : non tamen quò ad necessitatem propositi emendationis : nam omnes Theologi tenent, quod nec adversarii negare possunt, in confessione venialium necessarium esse propositum ea emendandi, sicut in confessione mortalium igitur propositum mortalia emendandi. Etsi relapsus in mortalia inferat defectum propositi emendandi mortalia, relapsus in venialia infert etiam defectum propositi emendandi venialia, & in hoc consistit vis & paritas quam numquam valebunt destruere.

Respondent alii nullam esse obligationem venialia confitendi.

R. Iterùm hoc illis concedendo, nec tibi est casus noster : sed an possint absolvi : non obstantibus relapsibus, negativâ ex adversariorum principiis manifestè sequitur, adeoque praxim Sanctorum qui quotidie aut sæpè confitebantur, atque Religiosarum familiarum Constitutiones, & Statuta ab Apostolica Sede approbata contemnunt, innumeris gratis privat animas justas auresque pias offendunt; quare non majori eget confutatione.

De occasione proximâ

Cum præcedentes casus sint de consuetudinariis & recidivis non existentibus in occasione proximâ de hâc restat agendum.

Dicimus existentes in occasione proximâ voluntaria, id est quæ potest deseri absque peccato aut gravissimo incommodo, puta vitæ periculo, infamiæ, &c. posse i. vice absolvi modò occasionem dimittere promittant: sequentibus vicibus, nisi occasio sit relicta vel in remotam conversa, debent remitti donec promissioni satisfecerint. Existentes verò in occasione proximâ, involuntaria possunt absolvi modo remediis contra illam præscriptis utantur: si ex illis nulla emendatio habeatur, agendum est cum his, sicuti cum recidivis.

Audiamus S. Carol. Borrom. Pastorum Inst. c. 16.
At verò cum usu venire possit ut ex omnibus, qua solers & circumspectus Confessarius excogitaverit, nullum remedium potuerit habere, cur pœnitens absque periculo & scandalo magno debeat occasionem præscindere. Utatur Confessarius his viis. Primò absolutionis beneficium eò usque abstrahat, donec emendationis indicia videat: maximè si absolutio citra aliquod periculum vel infamiam procrastinari possit, eaque doloris signa prospiciat, eamque animi dispositionem promptitudinemque suscipiendi omnia,
 quo

qua pro eius emendatione necessaria Confessarius
 iudicabit: quo tempore remedia Pœnitenti
 huiusmodi proponet, qua magis opportuna ma-
 gisque necessaria apparebunt, v. g. præscribet
 ei, ne solus unquam cum solâ versetur, ut ora-
 tiones augeat, corporis macerationem subeat
 aliquam, quodque præcipuum est ut frequenter
 confiteatur, aliaque similia, qua si pœnitens
 recipiat in se poterit absolvi. Contra verò si ab
 illâ diligentia quam ille vel alius Confessarius
 iam diù adhibuerit, non se emendaverit, non
 absolvatur donec impedimentum subulerit, vel
 nisi quid aliud à nobis acceperit quod convenire
 videatur, ad quos in tali negotio recurreret, ut
 factum nobiscum expendat, **ITA TAMEN UT
 NULLA FIAT MENTIO PŒNITENTIS.**

Ultimorum S. Præfulis verborum occasione iugen-
 dum maximè est à charitate & iustitia tanti Præfulis
 plures rigidioris praxis Confessarios esse remotissimos,
 omninòque illis oppositos: siquidem audiamus sæ-
 pissimè illos obligare pœnitentes, ut complices sibi
 declarent eosque denuncient superioribus, quod non
 solum contra charitatem & iustitiam esse iudicamus,
 sed maximè in destructionem Sacramenti Pœnitentiæ
 tendere compertum est.

**Ad maiorem misericordissimi JESU CHRISTI
 Salvatoris nostri Gloriam.**

P E R T I N E N T I A.

1. **A**D dispositionem sufficientem ad Pœnitentiæ Sacramentum necessariò requiritur aliqua erga Deum benevolentia : non tamen necessarius est actus charitatis.


2. Gratia naturæ sanæ & gratia naturæ lapsæ non in hoc differunt, quòd illa esset ita per se sufficiens, ut non ageret ulteriori auxilio vocato à S. Augustino *adjutorium quo* & hæc fit semper efficax : nec in hoc quòd illa omnibus daretur, secus hæc : siquidem *quid valet liberum arbitrium non adjutum in Adam demonstratum est : ad malum sufficit sibi, ad bonum non nisi aejuvetur à Deo.* S. Aug. de cant. novo. & l. de correptione & gratia. cap. 11. idem docet etiam de Angelis malis l. 12. de civitate Dei, si utriq; , inquit, *boni creati sunt, istis malâ voluntate capentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt.* Certum est illis non defuisse gratiam sufficientem, seu *adjutorium sine quo : nam si hoc adjutorium Angelo vel homini quamprimùm facti sunt, defuisset : quoniam non talis natura facta erat, ut posset manere si vellet, non utique suâ culpâ ceci-*


differ. S. Aug. loco cit. in naturâ autem lapsâ etiam omnibus gratiam datur: ut patet ex eodem S. Doctore exponente illud Joan. I. *Erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: illud autem lumen non irrationalium animalium oculos pascit: sed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertunt, QUOD OMNES POSSUNT, SI VELINT: quia illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* & lib. 83. quæst. q. 62 de gratia loquens dicit, *hæc vacatio quæ sive in singulis hominibus, sive in populis, sive in ipso genere humano per temporum oportunitates operatur, alta & profunda ordinationis est.* Concordat Magistro fidelis discipulus S. Prosper l. 2. de vocatione gentium cap. 31. *Elaboratum est quantum Dominus adjuvit: ut non solum in novissimis diebus; sed etiam in cunctis retrò saculis probaretur gratiam Dei OMNIBUS HOMINIBUS ADEUISSE.* Omnem hanc gratiam non esse efficacem tam experientia quàm condemnatio Mich. Bay & Cor. Jansenii propositionum ostendit.


3. An in naturâ lapsâ omnibus gratia actu detur vel solum offeratur, à Thomistis


missis controuertitur. Nostri Salmanti-
censes docent omnibus ratione utentibus
gratiam aliquam dantem posse saltem re-
motum, actu dari: quâ si uterentur, pos-
se proximum recipere: & quia hæc do-
ctrina potestatem ad actus supernatura-
les & mandata observanda melius expli-
cat, ideò illi ex animo subscribimus.
















Joachim
a
Jesus M.
ria de
rodo
gano

Th

448